



## **Dispvtationes Theologicae**

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,  
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

**Martinon, Jean**

**Burdegalae, 1644**

Sect. 9. An relationes, seu proprietates personarum diuinorum sint  
perfectiones, & quales.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](#)

522 Disput. XXV. de Trinit. Sect. VIII.

mirabilem, ineffabilem, & Dei singulariter propriam ratione sue infinitatis excellens & illimitationis, propter quam potest esse unum & multa, nec limitatur seu terminatur *visicā hypostasi & persona*) illata, inquam, mirabilem identitatem exten-dit ad res quilibet creatas, etiam vilissimas. Nulla enim earum est, quae non possit simul modos repugnantes habere in diversis locis, atque ita esse una & multiplex realiter, simul & semper. Una quoad substantiam : multiplex quoad modos: ut decem aduersarii de cera eadem tribus in locis posita: in uno, triangulari; in altero, rotunda: & in tertio, quadrata. Quin etiam aliqua naturaliter & sine miraculo possunt simul habere plures modos incompossibilis, adeoque possent naturaliter esse unum & multa realiter. Ut eadē anima rationalis quando in altera manu ascen-dit, & eodem tempore in altera descendit, & simul in capite mouetur circulariter: vel quando in membris diversis corporis, haber diuersas figurās sue praesentia localis, incompossibile sin eodem loco.

Adde praterca, quod licet modi incom-possibilis eiusdem rei distinguenterint inter se realiter: maior taliter & solidior distinc-tio admittenda est inter personas diuinās. Tum quia absurdum est, & inauditum, dice-re, tres personas diuinās non plus distinguuntur inter se, quam Christum in Eucharistia pos-tūtū in tribus hostiis: in una rotundè, in altera Quadratè, in tertia triangulariter. Tum etiam quia in diuinis est vera & realis productio: at modi puri & simplices non producantur: iuxta doctrinam eorum qui de illis melius & magis cohaerenter philosophantur. Alioquin quando res aliqua seipsum modificat, produceret modum suum: atque ita distinguetur realiter ab illo. Productio enī realis infert necessariò realem distinctionem: alioquin in diuinis non esset ratio cur persona producta & procedens distinguatur realiter, ut alibi ostendimus, & expresse docent Concilia To-letan. xi. Florent. & Sanceti Petri locis re-latis à Didaco Ruis disp. 9. Sect. 5.

Denique sicut tercia propositione incidentur imprudente, in illud idem quod male in aliis reprehendit: probatur, quia reprehendit in aliis, quod sic distinguunt: Quae sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, in uno tertio, copredo: vel, si sunt eadem illi ad quā scim̄ptō & converutibiliter, sive in tuta sua virtuali ypiuersitate, concedo. Secus nego. Ipsa vero sic distinguuit: Si sunt eadem vni tertio simpliciter, concedo. Si tantum ut taliter & taliter se habent, ne-gō, vel, Quae sunt eadem vni tertio, sunt eadem res, id est, non sunt distinctæ res: concedo. Non sunt distincti modi, nego. Quasi vero modus hic respondendi magis collat difficultatem & repugnantiam appa-rentem, minusque petat principium, aut euertat sensum predicti axiomatis. Nam, per aduersarios, inde illi sunt ipsamerces, neque ab illa distinguuntur à parte

rei, ac ne quidem ratione iuxta nos No-minales quos modo impugnamus. Ergo dicere quod sunt distincti nodi, & non sunt distinctæ res, est dicere quod est & non est distinctio secundum idem: quodque perso-næ sunt de ea ut essentia, & non sunt idem ut modi: cum tamen modi illi nihil sint aliud re & ratione, quam ipsa essentia. Item si no-stra distinctio petit principium vel euertit sensum axiomatis: non minus petitur prin-cipium, vel euertitur sensus axiomatis, cum dicatur, Quae sunt eadem vni tertio simpli-citer, sunt eadem inter se: Non autem sensus eadem solū vni tertio, ut aliter & aliter se habenti. Nam vis axiomatis in eo videtur consistere, ut probet esse eadem inter se, ex eo quod sunt eadem cum tertio. Nimisrum quia impossibile appareat, non esse eadem inter se, si sunt eadem cum tertio. Et respon-deatur esse eadem illi, non simpliciter, sed ut taliter & taliter se habenti. Cum tamen es-sentia, ut taliter & taliter se habens, necre, nec ratione differat ab essentia simpliciter. Ac proinde esset idem cum essentia ut taliter se habente, sit idem re & ratione, ut esse idem cum essentia simpliciter.

Adde quod falsum est personas diuinās non esse idem cum essentia simpliciter. Quae libet estim esse simpliciter Deus. Et ex Lactan. cap. Damnamus, quælibet trium personarum est illa res, vnde licet substantia, essentia, siue natura diuina. Vbi non Concilium dicere simpliciter & absolute quamlibet per-sonam esse essentiam: cui propositioni Con-cilij contradicit ista aduersariorum, Personā non est essentia nisi ut taliter se habens. Si enim non est essentia nisi ut taliter se habens; falsum est dicere simpliciter & sine tali ad-dito, quod sit essentia. Et tamen id Con-cilium affirmit.

Idem dico de altero respondendi modo, quod sunt eadem res, sed non sunt idem modi: siue quod non sunt distinctæ res, sed tam-en sunt distincti modi. Cū enim modi, per illos, nec re, nec ratione distinguuntur ab essentia: quomodo distinguuntur modi, cū non distinguantur essentia? Et quomodo non recte infertur esse idem omni eo modo inter se, quo essentia est idem cum modis: ac proinde personas non differre ut modos, aut per modos: cū non differant in essentia, cūque modi sunt penitus idem re & ratio-ne, nulloque pacto ab ea distinguuntur? Addo esse falsum, & contra doctrinam Patrum & torquem Theologorum, dicere tres perso-nas diuinās non distinguuntur ut tres res relati-vas, ut ostendemus sect. 12.

SECTIO IX.

An relationes, seu proprietates personales  
sunt perfectiones, & quales?

Dico primò, Relationes seu proprietas personales, secundum, id quod id.

# Disput. XXV. de Trinit. Sect. IX.

523

Conclusio  
affirmativa  
probatrix  
D. Thom.

tione, non virtualiter superaddunt essentia  
digita, esse perfectiones veras, reales & po-  
stius, planèque necessarias, ut Deus sit  
completus & perfectus substantialiter.  
Probatur primò ex D. Thom. q. 29. art.  
3. vbi sic ait: Persona significat id quod  
si perfectissimum. Vnde cum omnis per-  
fetio sit Deo tribuenda, consequens est ut per-  
sona de Deo dicatur. Atqui Deus est per-  
sona per tres relationes sive proprietates  
personales constituentes naturam in esse  
hypostatico. Ergo persona significans de-  
formali huiusmodi relationes, signifi-  
cat aliquam perfectionem. Et quidem  
talem ut Deum formaliter constituant in esse  
perfectissimo, id est, in esse substantiali per-  
fecto, & ultimò completo. Persona enim  
idem est, ac natura intellectualis seu ra-  
tionalis, ultimò completa substantialiter,  
& in esse totaliter perfecto constituta.

Probatur secundò ex sanctis Patribus,  
quorum plurima testimonio in hanc sen-  
tentiam videri possunt apud Didac. Ruis.  
disp. 29. sect. 3 & 4. Principia sunt que  
sequuntur. Basil. lib. 2. contra Eunog. inter  
principium & medium. si bonum, si pul-  
chrum &c. in beatitudini Patrem esse: quo-  
modo ergo à principio, quod decebat, ipse non  
aderat? Cyril. Alexand. lib. 3. thesauri cap.  
6. in fine: Cum Pater semper perfectus sit, quid  
prohibet aeternalius eum ex seipso generare filium  
sibi coaternum. Et cap. 5. circa medium. si  
Patris filius coaternus non est: necesse erit conce-  
dere imperfectam aliquando fuisse sanctam Tri-  
nitatem. Et lib. 2. Thesauri cap. 1. Non po-  
test esse perfecta Deitas, nisi filium habeat, &  
fructum ex separari. Gregor. Nazian. orat.  
37. ferè initio, si unum de cœlis (Spiritu san-  
ctum) audax hoc dicat, ne duo quidem superiori  
loco collocet. Quæ enim imperfecta Deitas uti-  
litas? Imò qua Deitas, si imperfecta? Perfecta  
autem quomodo erit, in qua ad perfectionem ali-  
quid desideretur &c. quasi verò prefitterit  
Deo aliquando imperfectum exitisse, ac spiri-  
tus expertem. Athanas. orat. 2. contra Ari-  
anos, in medio, Res condite, si non sunt in  
rerum natura, non diminuent conditorem. Proles  
autem si non coaternalius existat cum patre, de-  
trimentum afferit perfectioni illius substantiae. Am-  
bro. lib. 4. de fide ad Gratian. cap. 4. prope  
finem, si aliquando, ut volunt (Ariani scilicet)  
filius non fuit, quod nefas dicitur non  
fuit ergo in Deo aliquando perfectionis plenitude  
divina, si posse a processu generationis accepit.  
Simili discursu Epiphanius hæresi 69. col.  
10. ante finem, probat nunquam fuisse pa-  
ternam sine filio, quia proficiet in perfectio-  
ne filium generando. Pater autem semper  
perfectus est, & nunquam perfectione indi-  
geret. Ideoque non potest profectum fa-  
cere in Deitate.

Epiphanius  
Nazian.

Ex his Patrum testimonij manifestè li-  
quier ipsos intellexisse proprietates perso-  
narum diuinarum, quibus Deus con-  
stituitur in esse Patris, Filii, & Spiritus  
sancti, esse perfectiones: quandoquidena

Deus sine illis imperfectus foret: & si  
in tempore illas acquisisset, in perfec-  
tione proficeret, ut aiunt Patres sup. ci-  
tati: esseque pariter absolutè necessarias,  
quandoquidem Deus sine ipsis nullo modo  
esse potuit, nisi esset imperfectus, ut Patres  
affirmant. Est atem absolutè  
impossible Deum non esse, aut esse im-  
perfectum. In quo differunt proprieta-  
tes personarum diuinarum ab actibus  
liberis & contingentibus diuinæ volunta-  
tis & scientiæ, quibus Deus carere po-  
tuit abque imperfectione, cum non  
pertineant ad complementum perfectio-  
nis substantiæ diuinæ, sicut proprietates  
personales: sed sint duntaxat habitudines  
quædam, accidentiaræ logicæ, ad obie-  
cta in quæ Deus contingenter aut liberé  
tendit, per modificationem qualitam &  
determinationem actus essentialis &  
necessarij circa eadem obiecta spectata in esse  
possibili, iuxta ea quæ diximus disp. 14.  
sect. 2.

Probatur tertio rationibus Theologi-  
cis. Nam primò, proprietates illa sunt  
rationes reales positivæ ac diuinæ,  
constituentes Deum in esse ultimo Sub-  
stantiali: suntque partim ad agendum no-  
bilissimè, producendo, inquit quod tanti  
principij perfectioni respondeat: partim  
sunt terminus formalis productionum illa-  
rum excellentissimarum, deoque sunt ipsæ  
quoque excellentissima. Item sunt ratio-  
nes hypostaticæ, & vidimus terminus exi-  
stentia substantialis naturæ diuinæ, ut dis-  
putatione sequenti declarabitur: quod si-  
ne dubio perfectio quædam est. Si enim in  
substantijs creatis perfectio est quod per  
se substantia, in coequo præcellunt acci-  
dentibus, quæ indigent supietio, à quo  
sustentatur: quomodo non erit perfectio in  
Deo quod per se existat trisubstantialiter?  
Secundò, incredibile est mysterium  
Trinitatis nullam in Deo perfectionem po-  
nere. Cu' enim sit illa multiplicatio  
personarum inente summe perfecto, si il-  
larum, quatenus tales sunt, nulla est per-  
fectio? Omnidim nullam esset maiestas istius  
mysterij, si persona, ut sic essent merum non  
esset. Imò euidenter est impossibile perso-  
nas distinguiri realiter, si nihil sunt præter es-  
seniam unicam & indistinctam. Et manifestum  
est quod quando dicimus, Deus est tri-  
nus: affirmamus aliquid aliud, quod non af-  
firmamus quando dicimus, Deus est unus. In  
autem quod affirmamus tali propositione, non  
est negatio, sed positivus, & constitutivus Dei  
in esse personali trinitate. Si autem est pos-  
titivus; est ens. Et si est ens: est certe valde  
perfectum: quippe quod est id quod est Deus,  
& est ex absoluta essentiæ necessitate, Deum;  
constitutus & distinguens in esse patris, filii &  
Spiritus sancti. Tertiò, quod Deus sit trinus  
in personis, est speciale obiectum laudis, ado-  
rationis, & amoris. Ergo est aliqua perfectio  
ultra unitatem essentiæ, & quidem singu-

Xx 4

Iatis & infinitabilis à creaturis. Antecedens quoad primam partem de laude & adoratione, patet ex Symbolo Athanasij: unitatem in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremus: & ex verbis Ecclesiae in prefatione Missæ de sanctissima Trinitate, ut essentia unitas, & in personis proprietas, & in maiestate adoretur & qualitas, quam laudant Angeli atque Archangeli. Throni quoque & Seraphim, qui non cessant clamare quotidie una voce dicentes, sanctus, sanctus, sanctus &c. Plura ad idem confirmandum ex sexta Synodo actione XI. Nicena secunda actione 3. Dionysio, Athanasio & Basilio, vide apud Didacem Ruis disp. 29. &c. 6. num. 12. & tribus sequentibus. Quod secundam verò partem de amore, probatur quia non est dubium, quin Deus filii complacet in eo quod est trinus in personis, quodque Pater Filium generat per secunditatem intelligentie, & ambo spirant Spiritum sanctum per secunditatem actus voluntatis. Confirmatur ex illis Dei verbis Matth. 3. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene placuit.* Nam præcipuum obiectum illius complacentia erat, quod humanitas Christi esset unita hypostasi Verbi unius, ex qua summam amabilitatem trahebat. Propter quam etiam digna erat adoratione, & aequali honore cum Deo, tanquam una de personis sanctæ & adorandæ Trinitatis. Conscientia in hanc conclusionem Suar. lib. 3. cap. 9. num. 15. Vsq. disp. 122. cap. 2. Ruis disp. 29. & 30. & plures alij quos isti citant.

97. Dico secundò relationes, seu proprietates personarum diuinarum non esse perfectiones simpliciter simplices. Quam assertiōnē puto manifestam esse supposita & bene intellecta definitione perfectionis simpliciter simplicis, sumpta ex Anselmo, Quæ melior ipsa, quam non ipsa, aut quilibet alia incōpossibilis cum ipsa, cuilibet enti ut ens est: ita est, quia non repugnat ut alteri melior sit aque bona in quolibet ente singulari, spectato iuxta rationem entis, & non iuxta propriationem specificam. Ita nimis ut ens habens talam perfectionem sit melius, & perfectius quilibet eam non habente. Quo supposito sic argumentor: Proprietates personarum diuinarum refugiant alteri aquæ bona, in aliquo ente, nempe in aliquo supposito diuino. Paternitas enim repugnat filiationi, & spiratio & tua spirationi possunt aquæ bona ac perfecta: neque enim sit melius esse Patrem, quam esse Filium; aut esse spiratorem, quam esse spiritum. Atqui perfectio simpliciter simplicis non repugnat illi alteri aquæ bona. Ergo non sunt perfectio simpliciter simplex.

Dixi assertiones esse manifestam Tuppox & bene intellecta definitione perfectioni simpliciter simplicis, ab An-

Impugnat  
tus contra.

felmo tradita & communiter recepta: nam contra illam peccare arbitror, & de nomine litigare, aut potius de significatis illi voluntariè per ipsos impossitis, eos omnes qui dissentunt à proposita conclusione. Ut qui dicitur præcūsum conceptum substantiæ diuinæ disiunctum, esse perfectionem simpliciter simplicem; aut concepū cōfūsum & vniuersū personæ diuinæ abstractum à tribus personis diuinis: quia est melius cuilibet enti, ut ens est, habere aliquam substantiam diuinam, quam non habere. Et enī definitio perfectionis simpliciter simplicis superius tradita, debet intelligi de perfectione una & determinata: non autem de disiuncto ex multis: tum quia disiunctus proprie non est perfectio, sed perfectiones disiunctæ significatae aut concepta. Tum etiam quia sequeretur, hac disiuncta esse perfectiones simpliciter simplices: esse Deum, aut esse creaturam, aut substantiam aut accidens esse spiritum aut corpus. Quæ & similia sunt absurdæ & inadīcta. Idemque dico de conceptu confuso & vniuerso personæ, abstracto à tribus personis diuinis. Qui conceptus non est vna perfectio realiter, sed tres confusi per modum vnius, Imperfectæque concepta & significatae hac voce persona. Neque vero conceptus confusi & vniuersi sensi debent esse perfectio simplex: vel secundum se propter rationem iam allatam: vel etiam secundum singulare à quib[us] abstracthantur, nisi secundum illa, aut secundum illud eorum, quod huiusmodi est, ut sit melius ipsum, quam non ipsum, aut quodlibet aliud incompatibile cum ipso cuilibet enti ut ens sit.

Peccant similiter qui dicunt proprietates personales esse perfectiones simpliciter simplices comparatas ad Deum, vel ad essentiam diuinam, cui non sunt incōpossibilis, & cui melius est esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, quam non esse. Quamvis enim tres relationes personales conueniant simul essentia diuinæ, sintque illi meliores, quam quilibet incōpossibile cum illis: non tamē sunt tres simul vna perfectio simplex, nec quilibet singillatim, stanco definitioni supra datæ perfectionis simpliciter simplicis, & vero eius sensu: Quæ sci-  
dicer est melior ipsa, quam non ipsa, aut incōpossibilis cum ipsa, cuilibet enti quæ ens est, & diuinæ similitudine sumpto & singulari. Li-  
cet enim paternitas sit melior essentia & Deo: non tamen est melior quilibet enti quam ens est: quia non est melior Filio, quam filiatio cum ipso incōpossibilis. Tres quoque relations simul sumptæ non sunt vna perfectio simplex: tum quia sunt vna perfectio individua, sed tres: definitio autem perfectionis simplicis, est rei vnius & individuæ, quæ melior ipsa cuilibet enti &c. Tum deinde quia impossibile est, ut tres simul conueniant cuilibet enti quam ens est, sintque illi meliores quam non ipsæ, aut

quām alia incompossibilis. Est enim impossibile ut coenpant Patri, vel Filio, vel Spiritui Sancto, hincque meliores cuilibet illorū ut ens est. Ita scilicet ut Patri, quatenus ens est melius sit esse simul intrinsecē Patrem, & Filium, & Spirituū Sanctum? quām esse Patrem tantum distinctum realiter à Filio, & à Spiritu sancto.

Peccant tertio, qui dicunt relationes diuinās, etiam prout comparatas ad singulas personas, esse perfectiones simplices. si intelligatur illud esse perfectionem simplicem, quod est melius habere, quām non habere. Habere, inquam quocunque modo, sive tanquam intrinsecē constitutus, aut aliter afficiens formaliter, sive tanquam possessum aut extrinsecē pertinens ad se. Quælibet autem persona diuina licet non constituantur intrinsecē relationibus sibi oppositis: illas tamen habet alio modo tanquam ad se pertinentes. Nam per circumfessionem quæcunque sunt in una persona, sunt alterius, iuxta illud Christi Ioan. 16. *Omnis que habet Pater, mea sit.* & Ioan. 17. *Omnia mea tua sunt, & tua mea sum.* Sic enim fructus aliorum pendens, ad arborē pertinet tanquam illius ornamenti: sic & multò magis Filius pertinet ad Patrem aeternum, & Spiritus sanctus ad sp̄itatorē. Ac vice versa, Pater pertinet ad Filium, & spirator ad Spiritum sanctum, tanquam illius principium. Et quicquid est vnius personæ proprium, est alterius, quia ad alteram est id quod est. Peccant, inquam, eo quod male explicant, per habere quomodo: unque, id quod dicitur in definitione perfectionis simpliciter simplicis, que melior ipsa quam non ipsa &c. cui libet enti ut ens est. Verus enim sensus horum verborum est, quām melior ipsa est supple; cuilibet enti, in quo scilicet est, aut illud ipsum est per identitatem tamē. Ut declarat auctor istius definitio nis S. Anselmus in Monolog. cap. 14. cū addit paulo post: *Melius autem est in aliquo non ipsum, quam ipsum: ut non aurum quam aurum.* Nā melius est homini non esse aurum, quām esse aurum: quamvis forsitan melius esset alicui aurum esse, quam non aurum esse, ut plumbum. Et sapius eodem capite repetit perfectionem simplicem esse illam quām melior quām iphus oppositū: ut sapiens, quām non sapiens, aut quām in aliquo melior est, quām incompossibilis cum illo, spectato scilicet ut ens est.

## SECTIO X.

*Solventur argumenta contrariarum opinionum.*

Contra doctrinam traditam sectione precedenti sentiunt non pauci. Quorum aliqui contendunt relationes personarum diuinarum non esse perfectio-

nes, ut Scotus Quodlibeto 5. articulo 1. & 2. Caietan. 1. p. q. 28 art. 2. circa solutionem tertij. Molin. quæst. 3. art. 7. disp. 2. §. secundo, et est argumentum ad hominem: Bellarm. lib. 2. d. Christi cap. 12. Beccan. cap. 2. de Trin. q. 6. conclus. 2. Alij ex opposito contendunt esse per fectiones simpliciter simplices, ut Maior in 1. dist. 33. & 34. quæst. vñica prope finem, §. Ad aliud dicitur: Valentia in controversijs lib. 2. de Trinit. cap. 12 Vasq. disp. 122. cap. 4. & Ruis disp. 30. sect. 9. num. 5. Sed isti nihil opponunt quod solutum supra non sit.

Alicum argumenta hæc præcipue esse possunt. Primo, quia alioquin essent in Deo plures perfectiones diuersæ realiter. At qui perfectio diuina, ut pote sup̄em, est vñica. Ideoque Patres vitant nomen plura le, quando loquuntur de perfectione Dei. Secundò, sequeretur in una personarum diuinarum perfectionem aliquam esse, quā non esset in alia. Ex quo sequeretur personam illam esse imperfectam; quippe carente perfectione aliqua, & quidem valde magna. Tertiò, sequeretur plus esse perfectionis in tribus personis simul sumptis, quām in una, contra communem sensum fideliū, & contra illud Augustini lib. 6. de Trin. cap. 8. *Tantus est filius Pater, vel filius Filius, vel filius spiritus sanctus;* quantus est Pater, Filius, & spiritus sanctus. Quartò, si proprietates illæ essent perfectiones: essent infinitæ, & vna continerent alia. Quin sò, sequeretur vnam personam esse alia perfectionem: quia perfectiones illæ essent vñi specie diuersæ: & ideo inæquales: species enim sunt sicut numeri. Atque ita illa saltem quā est omnium perfectissima, esset perfectione simpliciter simplex.

Ad primum Respondeo esse in Deo plures realiter perfectiones relatiuas, vñicam abso lutam: eodemque sensu in alius dōs esse Pa tres, quorum plurimi agnoscunt in Deo pat res subsistentias; & plures res: vt Anselm. lib. de Incarn. Verbi, cap. 3. si dicit neminem Christianum id non conserui: & D. August. lib. 1. de doct. Christi. cap. 5. & Hilari. lib. 7. de Trinit. multò post medium. Quotamen male quibuidam citatur in andem sententiam lib. de doctis, post duo decim Anathematos Oecumenium, quia ibi affirmit nomina Patris, & Filii, & Spiritus sancti, non simpliciter, neque otiosi propria, sed significare diligenter propriam unitatem, que nominatum substantiam, & ordinem, & gloriam: ut sint quidem per substantiam tria, per confonditam verò vñam. Malè inquam ci rapitur verba illa, ut propria Hilarii, cū ab ipso tantum referatur ex expositione fidei Synodi cuiusdam Antiochenæ, ab ipso que repreſendantur paulo post:

Sicut autem dicitur tres subsistentiae, & tres res; ita etiam tres entitatis relatiuæ dici possunt, tres unitates, tres bonitates, tres quidditates, tres existentiae, tres durationes.

Refelluntur  
qui dicunt  
relationes  
diuinas no  
ne perfec  
tione.

103.  
Sunt in Deo  
plures reali  
ter perfec  
tiones.